

canonicatibus et prebendis quomodolibet impetere deberent. Quare pro parte dicti lan-  
 gravii nobis fuit humiliter supplicatum, ut loco dictarum duarum per concordiam pre-  
 dicte universitati detractarum prebendarum, in ecclesia Merseburgensi in qua etiam  
 maiores et minores prebende fore noscuntur, duo canonicatus et totidem maiores pre-  
 5 bende tot et talibus personis ydoneis etiam per rectorem pro tempore et universitatem  
 huiusmodi presentandis ad instar predictarum ipsius Baldassaris tunc Iohannis XXIII.  
 litterarum alias in omnibus illarum servata forma perpetuo conferantur similiter statuere  
 et ordinare de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus  
 inclinati simili constitutione eadem auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et  
 10 etiam decernimus, quod in ecclesia Merseburgensi duo canonicatus et totidem maiores  
 prebende, qui postquam presentes littere in eodem fuerint publicate, extunc perpe-  
 tuis futuris temporibus in antea, prout in dictis ipsius Baldassaris tunc Iohannis XXIII.  
 litteris est expressum, quotienscunque simul vel successive vacaverint, per earundem  
 15 executores prefatos vel eorum aliquem, quibus ad id etiam mandatum damus et potesta-  
 tem, aliis duabus personis ydoneis ipsius studii similiter ydoneis, etiam unum, duo, tria  
 vel plura beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura obtinentibus, per rectorem et  
 universitatem predictos etiam pro tempore presentandis cum plenitudine iuris canonici  
 conferantur et provideatur de illis, et qui quidem executores per se vel alium seu alios  
 singulas alias easdem personas vel procuratores suos pro eis in singulorum canonicatum  
 20 et maiorum prebendarum ecclesie Merseburgensis corporalem possessionem huiusmodi  
 inducant et defendant inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac  
 faciant dictas singulas alias duas personas vel huiusmodi suos procuratores pro eis ad  
 easdem maiores prebendas eis sic conferendas in dicta ecclesia Merseburgensi in canonicos  
 recipi et in fratres, stallis eis in choro et locis in capitulo eiusdem ecclesie Merseburgensis  
 25 cum dicti iuris plenitudine assignatis sibi que de ipsorum singulorum canonicatum et  
 maiorum prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus uni-  
 versis eorundem integre responderi. Omnia quoque alia et singula in premissis nostris  
 statuto et decreto ac illa contingentia alias iuxta earundem ipsius Baldassaris tunc  
 Iohannis XXIII. litterarum continentiam omnimodam atque tenorem facere ac exequi  
 30 possint et debeant quomodolibet necessaria sive etiam oportuna, contradictores auctoritate  
 nostra appellatione postposita compescendo, non obstantibus statutis et consuetudinibus  
 dicte ecclesie Merseburgensis, illis presertim quibus caveri dicitur, quod nullus inibi  
 maiorem prebendam assequi valeat, nisi de minori prebenda ad maiorem prebendam  
 huiusmodi gradatim et per optionem ascendat, iuramento, confirmatione apostolica vel  
 35 quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscunque, aut si aliqui apostolica  
 vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia Merseburgensi in canonicos sint recepti vel  
 ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et  
 maioribus prebendis ipsius ecclesie Merseburgensis speciales vel aliis beneficiis ecclesia-  
 sticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint,  
 40 etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit  
 processum, quibus omnibus preterquam auctoritate litterarum nostrarum et processuum